



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 90118286

§. 56. Gregorius XII. Ariminum profugus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

Sæcul. XV. *scimus. Datum Neapolis anno MCCCCXII.*
 A. C. 1412. *die XVI. Octobris.*

§. LVI.

Gregorius Papa Ariminum profugus.

Ignorabat ab initio Gregorius pactas concordiae leges, imo Ladislaus, cum hæc consilia animo agitaret, ad artes suas tutius occultandas Pontificem, iisdem omnino, ut antea, honoribus excipit, quin etiam, cum Gregorius tractu temporis totam negotii summam edoctus, Regem fractæ fidei arguisset, ipse pacem cum ejus æmulo a se initam constanter inficiatur. Nihilominus postridie ejus die per nuntium Gregorio præcipit, cum suis se reciperet, atque a Regno Siciliæ discederet, præfinito hunc in finem termino nimium arcto. Gregorius tunc primum discrimen sibi proxime imminens animadvertit, proin perspecta Ladislai perfidia duas naves Venetas conducit, quas Cives Cajetani coemptis protinus earum mercibus exonerabant, ut Papa tribus duntaxat Cardinalibus suisque domesticis stipatus illas conscendere, & in altum mare provehi posset, qui & post aliquot dierum decursum secundo vento ad Marchiam Anconitanam appulsus est, ubi sub clientela Caroli de Malatestis, qui Gregorium nec in adversis unquam dere-

dereliquerat, securus e navi sua descen- Sæcul. XV.
dit. A. C. 1412. Itaque Arimini, quæ civitas Caro-
lo parebat, sedem suam fixit, & supera-
tis haud vulgaribus periculis unacum tri-
bus suis Cardinalibus in vigilia Nativita-
tis Dominicæ hanc urbem ingressus est.

§. LVII.

Concilium Romæ celebratum.

Interea temporis Joannes XXXIII. Syno- Conc. Gene
dum a se ad Mensẽm Aprilem hujus tom. XI.
Anni indictam, præstituto tempore Ro-
mæ celebrat. Accurrunt ex Italia, Bo- Monack. S.
hemia, Hungaria, Anglia, Scotia, Ger- Dionys. l. 32.
mania, aliisque hujus Pontificis obse- Et 33.
quio addictis regionibus plurimi Archie-
piscopi, Episcopi, Primate, alique Viri
Ecclesiastici huic Concilio interfuturi.
Rex Franciæ suos quoque Legatos illuc
decernit, reformationem Ecclesiæ in ca-
pite & membris sollicitaturos. Hi e-
rant Bernardus de Chevenon Ambianen-
sis Episcopus, Simon Cramaudus, Pa-
triarcha Alexandrinus, & Petrus de Al-
liaco Cameracensis Episcopus, ambo a
Pontifice ad Cardinalitiam dignitatem e-
vecti. Quibus adjuncti erant Parisien-
sis Academiæ Deputati. Verum hæc
legatio præcipuo suo frustrata est fine,
nimirum Ecclesiæ Gallicanæ exemptio-
ne a decimis, præstandis servitiis, cete-
risque